



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In somnium Iacob. Ode Dicolos Distrophos. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In somnium Iacob.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. VIII.

QVÆ patribus firmata olim sunt fœdera primis,
Noniq̄, cœpta ab orbis ante termino,
Et quæ prima hōminum, quæq̄, altera credidit ætas,
Rudi sed vsque peruoluta imagine:
Hæc eadem iam clara magis, monstrataq̄, cernit
Suo Iacobus expedita tempore.
Qui dum humilis, fugiensq̄, minas fratrisq̄, furores,
Deum vocaret, inq̄, vota posceret;
Et placido iam membra daret recreanda sopori,
Labore pressa, mente sed vigil magis:
En certus docilisq̄, poli manifesta videbat
Patentis ampla permicare limina;
Innixamq̄, solo scalam, quæ vertice summo,
Poli tonantis alta templa vinceret;
Multifidoq̄, gradu, terris deduceret imis
Ad vsque tecta fulgidi orbis aurea.
Illic supremam sedem, pater ipse benignè
Fouens, tenebat efficace numine;
Quo vultu solisq̄, ignes, hyemesq̄, ninales,
Et impotentis impetum maris regit.
Hæc iter ad superos didicit, certamq̄, patère
Viam perennis vsque ad intima ætheris.
Jamq̄, oblata hominum generi commercia diuinæ
Videns, fatetur atque adorat excitus.
Cernit enim aligeros, non agmina rara, ministros
Identidem altos ferre per gradus pedem:
Inde hominum terras inuisere, rursus & isthinc
Tonantis alta commearé limina.
Tunc pauet agnoscitq̄, domum portamq̄, supernam.
Opus sed astra quod pererrat ultima,
Quodq̄, premens terras, præteruolat æthera in arctum
Vocare carmen & referre sit nefas.

HVMANA DIVINITAS.

*Cur tanto genus humanum dignetur honore
Dicere, non nisi qui perficere ipse potest.*



DEI PHILANTHROPIÆ. S.
B 3 In